





John Carter Brown
Library
Brown University

JOHN CARTER BROWN

L I B R A R Y

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
L I T T . D .





DISSE

DISSE

DISSE

DISSE

D E

C O R T I C E P E R U V I A N O :

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,

Ex au^roritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S

R I T E A C L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ,

E R U D I T O R U M E X A M I N I S U B J I C I T ,

A R T H U R L E E , V I R G I N I E N S I S .


Ad diem Septembris, hora locoque solitis.

Nos haec novimus esse nihil.

E D I N B U R G I :

I N A E D I B U S A. D O N A L D S O N E T J. R E I D .

M D C C L X I V .



PRAECEPTORI SUO SPECTATISSIMO,
GULIELMO CULLEN,
COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS

SOCIO,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE CHEMICAЕ
IN ALMA ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;


NEC NON

PRAECEPTORI SUO SPECTATISSIMO,
JOANNI HOPE,
COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS
SOCIO,

MEDICINAE, ET, DILECTISSIMAE SUAE
SCIENTIAE, BOTANICES,
IN ALMA ACADEMIA EDINENSI,
PROFESSORI:

OB INNUMERA, QUAЕ IN SE,
ET PUBLICЕ ET PRIVATIM,
CONTULERE BENEFICIA,
SACRUM HOC VOLUIT
EORUM OBSERVANTISSIMUS,

ARTHUR LEE.



DISSERTATIO MEDICA

D E

CORTICE PERUVIANO.

INCLARUIT eousque Corticis Peruviani usus, ut nullum hodie medicamentum majori aestimatione dignum esse videatur. Effectus ejus, fidissimis ab autoribus memorati, sunt utique insignes. Quoniam autem variis in morbis, aequali fere cum successu, adhiberi solet; varias hinc et multiplices exercere vires creditur. Hinc modus operandi intellectu difficilis evasit; unde dubia, in ejus usum, cordata, et timida praxis; lites invidia movit. Haec omnia componere, vix erit fortuna hujuscē dissipatiunculae. Si ea autem quae optimi scriptores de tuto ejus usu tradidere, uno hic sub intuitu ponamus; speremus nos ejus exhibitionem, et forsitan agendi modum certiorem quodammodo reddituros esse, et opere functuros nec ingrato nec inutili.

CUM Peruvianus Cortex, apud scriptores medicos, variis sub nominibus occurrit; recensenda sunt, imprimis, synonyma medica.

A

Pulvis

2 D E C O R T I C E

Pulvis del cinchon.	Quina quinae.
Pulvis comitissae.	Quinquina.
Pulvis patrum.	Kina kinae.
Pulvis Jesuiticus.	Kinkina.
Jesuits bark.	Cinchona. Lin. Mat. Med. (a)
China chiae.	Peruvian bark. Lewis, M.M.
Chinchina.	

Qui Cinchonae historiam naturalem, belle et graphice descriptam, perlegere velit; adeat dissertationem, a viro dignissimo RICARDO PULTNEY, in hac academia, nuper editam. Qui plantae ipsius iconem contemplari cupiat, act. Parisian. ann. 1738, aut laudabilem dissertationem super citatam, inspiciat. His ergo breviter praemissis, ad propositum properemus opus.

S E C T. I.

De Cort. Peruv. usu in febribus intermittentibus.

IN febribus intermittentibus, primus et notissimus fuit Corticis Peruviani usus. Narratur enim febrifugam ejus vim, primum, in his febribus, Indis Americae Meridionalis, casu innotuisse (b). Aegrotabat postea, ex saevissima febre

(a) P. 24. N° 71.

(b) Morton. de Cort. Peruv. exercit. I. p. 118. Pomet's history of drugs.

tertiana,

tertiana, uxor nobilissima proregis Hispani, in regione Peruviana, Comitis del Cinchon; omnibusque aliis remediis incassum tentatis, ex assumpto Cortice brevi convaluit (*a*). Hinc inclaruit Cinchonae fama per Europam, pulveris Comitissae sub nomine. Ex eo autem tempore varia subivit fata. Summo enim in initio specifici titulo insignitus, indiscriminatim utique et saepius imperite fuit exhibitus. Ex prava hac praxi, innumerabilia oriebantur mala; quae salubres, etiam et tutas, Corticis vires in dubium vocabant. Mox vero labentem ejus famam sustinebant maximi nominis medici, SYDENHAMUS et MORTONUS in Anglia; TORTI in Italia. Non autem celandum est, quod hocce medicamentum summo BOERHAAVIO nunquam placuisse videatur. Hinc usum ejus, innumeris restrictum cautelis, rarius admisit (*b*). Hoc autem vix Cortici vitio jure vertendum est. HOFFMANNUS enim BOERHAAVII contemporaneus, vir ingenio, doctrina, et medicinae peritia vere magnus, eundem Corticem summis cumulavit laudibus (*c*). Nuperioribus etiam, summisque practicis, WERLHOFF, CLEGHORN, STORCK, DE HAEN, PRINGLE, SENAC, et nuperrime MONRO, satis innotuit ejus vis, et tu-

(*a*) Morton. ibid. p. 119. Cartheuser. M. M. vol. 2. p. 488.
Geoffroy M. M. vol. 2. p. 181. (*b*) §. 767.

(*c*) Dissert. de recto Corticis usu.

4 D E C O R T I C E

tus et salubris usus. Firme igitur statuitur in febribus intermittentibus Cinchonae usus, et in hodierna praxi est frequentissimus. Primum ergo in his merito ejus vires expendere debemus.

FEBRIS intermittens constituitur ex duobus vel pluribus paroxysmis, integrâ interveniente apyrexia.

Ur melius in his febribus Cinchonae intelligamus usum, distinguendae sunt in vernales et autumnales.

IN vernalibus adest diathesis phlogistica, et saepe inflammatio^(a). Hinc, teste SYDENHAMO, methodo antiphlogistica et diaeta tenui felicius quam Cortex tractantur^(b). Inflammatione autem sedata, nil vetat quin, si eum febris pertinacitas requireret, Cortex sit exhibitus^(c). Et febrifuga quidem vis nonnunquam est omnimodo necessaria. Vernales enim, licet plerumque, non tamen semper, methodo antiphlogistica, aut calore aestivo superveniente, solvi possunt. Testatur hoc experientia celeber. VAN SWIETEN. Saepius vidi, inquit, etiam vernas intermittentes ad omnes alias methodos

(a) On doit observer, que les fevres printanniers intermittentes tournent souvent en maladies inflammatoires; principalement dans les sujetes jeunes et sanguines. Van Swieten maladies des armes, p. 55.

(b) P. 310. (c) Huxam on fevers, edit. 2da, p. 23.

rebelles

rebelles fuisse, soloque Cortice Peruv. tolli potuisse (a).

AUTUMNALIUM vero alia, et longe periculosior est indoles; et ut phlogistica vernalis, ita putrida diathesis illas concomitari solet (b). Debilitata igitur vi vitali, et sanguine, a constrictione cutanea, magis interne determinato, pessimae nascuntur obstrunctiones in visceribus internis. Hinc gravia istarum obstruktionum symptomata, scilicet ventris induratio, cachexia, tumores hydropici, et alia, quae has febres saepissime, vernalis autem rarius sequuntur (c). Hinc corporibus debilibus et caco-chymicis sunt saepe lethales. Cum ea igitur est periculosa febrium autumnalium natura, majorem exposunt curam, et Cortice plerumque sunt sanandae.

DIXIMUS itaque quibus in febribus Cinchona praecipue sit administranda; et nunc quaestio oritur de eo morbi tempore, in quo optimo cum successu exhiberi possit. Consensere equidem plerique, Chinam in genere tutiorem esse, post aliquot paroxysmos toleratos; aut, ut ait SYDENHAMUS, postquam febris se marte suo aliquantis per protriverit. Verum ubi magna urget debilitas, et graves paroxysmi

(a) Comment. in §. 767. (b) Pringle's diseases of the army, edit. ultim. p. 72. et alibi. (c) Van Swieten tom. § 747. Pringle, edit. 3tia, p. 214.

6 D E C O R T I C E

periculum minantur, ad Corticem illico confugendum est.

SIC in periculosissima morbi constitutione hortatur To. T. ut aeger deglutiat simul et semel Chinæ semu ciām, quae ita e caciōr erit, quam si praebiis repetitis prop neretur (*a*). Suadent etiam alii, Cortici ita propere exhibito, cardiaca, aperientia, et purgantia pro re nata adjungere (*b*).

CUM tanta autem quantitas simul ingeri nequit, ejus vicem suppleat crebrior repetitio ad magnam copiam, secundum monita celeber. STORCK. Cum largo, inquit, et foetidissimo sudore vires omnes conciderunt, et facies facta est moribunda, magna copia debebat Cortex assūmi intercalari tempore, ut certior sequatur effectus. Hoc confirmavit exemplo insigni. Fuit vir cui paroxysmus inusitatis gravissimisque symptomatibus erat stipatus; scilicet, post remissionem frigoris, tussis violenta, haemoptoe, faucium siccitas, t latio, tumor, cum lividis labiis. Post tertium paroxysmum Corticis sesquiunciam repetitis dosibus exhibuit, et inde febrem omnino compescuit (*c*).

IN febribus tertianis Minorcae, quae malignae fuerunt speciei, pro cito corticis exhibitione multum arguit celeb. CLEGHORN. Insigne est quod monuit

(*a*) Ther. special. l. 3. c. 3. (*b*) Cleghorn's diseases of Minorca, p. 194. Geoffroy M. M. vol. 2. p. 188. (*c*) An. II. p. 165.

egregius

egregius vir, nempe paroxysmum sextae diei, etiam propinato Cortice, nonnunquam se in proximum continuasse, cum delirio, &c.; haec autem symptoma, terribilia magis quam periculosa, ad octavam diem evanuisse, et repetito Cortice, ipsam disparuisse febrem. (a).

AN Corticis usui evacuationes semper sint praemittendae, est quaestio in qua maxime dissentunt autores practici. Sunt enim qui hanc cautelam innixe inculcant; sunt qui eam non tantum inutilem, sed nonnunquam etiam injuriosam autumant.

MORTONUS, ante evacuationes, Cinchonam saepius propinavit; et negat eam naturae crisi turbare. Magnae quoque autoritatis CLEGHORN, cum viscera sunt etiam obstructa aut inflammata, Chinam, sine praemissis evacuationibus, innoxiam, immo et perutilem esse, arguit (b). Infelices metastases, quae Corticis praematurum, ut aiunt, usum sequi observatae fuissent, ab aliis causis ortas esse putat; quoniam malos effectus saepius a protracta quam a cito ejus exhibitione experiebatur (c). Sub eodem signo militat celeb. DE HAEN. “Et contra eos,” inquit, “qui evacuationes criticas post Corticem dari negant, observavimus easdem, hic alvo, urina, haemorrhoidibus, sudoribus, id quod saepius in nosocomio observatum (d).” SYDENHAMUS medium

(a) An. II. p. 131. (b) An. II. p. 204. (c) Ib. p. 206.
(d) Ib. p. 100.

8 D E C O R T I C E

quasi viam tenuit. Licet enim dixerit Corticem nec v. s. nec catharsin praemissam requirere, monuit tamen insuper, eum premature nimis ingeri non debere, antea, scilicet, quam morbus suo se marte aliquantis per protriverit (*a*). Evacuationibus autem favens expertissimus STORCK nos ita monuit. “ Si “ ante Corticis usum P. V. a fordibus rite purgentur, “ et hypochondriorum obstrukiones resolvantur, “ tunc Cortex nunquam nocere potest; his autem “ neglectis, saepe cacochymiam et pessimam hydro- “ pem producit (*b*).” Eandem opinionem fovent illust. VAN SWIETEN (*c*), PRINGLE (*d*), SAUVAGE (*e*), SENAC (*f*), BAGLIVIUS (*g*), multique alii, qui uno ore evacuationes ante Corticis usum necessarias esse affirmant.

TANTAS componere lites, non nostrum est. Pauca tamen quae huc spectant, si liceat, proponam. Observaverunt medici, vel ab initio medicinae, circa felicem plerorumque morborum terminationem, materiam quamdam per corporis emunctoria expelli. Hanc alii putabant esse morbi causam, conaminibus vietricis naturae, ita loqui amant, critice expulsam. Alii autem eandem hanc materiam existimabant morbo generatam fuisse, et, ut corpori noxiā, per vim vitae expulsam. Metuebant igitur illi, ne Cortex, quoniam vi insigniter ad-

(*a*) P. 93. (*b*) An. I. p. 76. (*c*) Com. in Boerh. § 609. 758. &c. (*d*) P. 207. (*e*) Nosologia, claf. II. p. 340. (*f*) P. 208. (*g*) Prax. med. p. 71. 58.

stringente

stringente gaudet, emunctoria constringendo, salutare hoc naturae opus impediret: hi autem, ne eadem vi humorum defaecationi obstaret. Ambos tamen plura in hac re metuisse, quam re-apse metuenda fuere, constat ex fidissimis multorum observationibus. Et quidem, cum videmus naturam, morbo debilitatem, saepe crisin hanc vel omnino deferere, vel imperfectam relinquere; nonne merito concludamus, Chinam, dum morbum citius vincit, et vim vitae auget, crisin hanc auxiliaturam potius quam retardaturam esse (a)? Verum ubi nullum discrimen urget, et ea est febris benignitas, ut mora permittatur, tutius semper videtur evacuaciones praemittere.

INTER evacuantia, emetica sunt efficacissima. Primas enim vias, humoribus biliosis, putridis, noxiis,

(a) Criticis evacuationibus Corticem saepius morbos solvere, multorum testimentiis probatur. Albertinus in Com. Bon. acad. p. 405. afferuit eum nunquam sine evacuationibus curare. Cinchona, inquit Albinus, alvum subducit, diuretica fit, diaphoresi agit; aliquando nihil accidit nisi quod vigor, calor, appetitus, et integra redeat sanitas. *De febre quartana*, p. 34. Urinam copiose et coctam movet, ex testimonio Brunneri. *Eph. natur. curios.* v. 1. ob. 128. Vid. etiam Torti, *Respon. Iatrop.* p. 430. Sudores criticos praecipue ad declinantem paroxysmum excitat. *Werlhoff*, p. 232. Corticem autem naturalem morborum crisin non supprimere, ex illustrium virorum testimentiis jam diximus; his etiam addere possumus decennem experientiam celeber. Munkley, qui testatur se Corticem crisin turbare nunquam vidisse. *Medical museum*, p. 27.

B

turgentes,

10 D E C O R T I C E

turgentes, optime expurgant. Excretoria omnia exagitant, absorptionemque promovent; unde noxia citius excernuntur, et boni humores de novo inhalantur (*a*). Cathartica Corticis exhibitionem praecedere jubent autores practici. Et tum ea praecipue debent praemitti, cum arcte constipatur alvus, et viscera sunt obstruēta. Haec autem cautela, licet in genere sit utilis et necessaria, vix tamen semper possit admitti. De hac re sapienter utique loquitur ELIAS CAMERARIUS. “In intermittentibus,” inquit, “antequam primae viae expurgatae sint, solum luta que viscerum obstrunctiones, cavendum maxime monent a China china, a praecipitantibus et adstringentibus. Nota vero, quod si omnes viscerum obstrunctiones debent esse expeditae prius, vix unquam possis accedere ad remedia antefebribilia, nec agere contra febrem. Sunt obstrunctiones illae diversi generis, nec omnes impediunt Corticis usum; cui etiam non semper commode evanescunt praemittitur remedium. Id vero sua quemlibet experientia facile docebit. Nec enim semper febres ferunt purgantia. Fortiora, uti in omnibus obstructionibus viscerum, sic maxime in intermittentibus quae ex obstructionibus sunt, damnū inferre dicuntur (*b*).”

(*a*) Et pro re nata repetenda sunt emetica, scilicet quoties recrementis biliosis, aliisve noxiis exoneretur ventriculus. *Recon. feb. natur. p. 150.*

(*b*) *System. cautelar. medicar. p. 494.*

HAEC

HAEC itaque sufficient de purgantibus Cinchonae exhibitioni praemissis.

CORTEX plerumque cum salibus aperientibus diaphoreticis associari debet. Salia enim haec, ad spasmum solvendum, Chinam, ad ejus redditum praecavendum, vim magnam habere, certa docuit experientia. Hinc, unitis viribus, perfectiorem promittunt curationem.

PROSIT etiam Chinam aliquando cum amaris, aromaticis, et adstringentibus, omnibus itidem in febrem agentibus, jungere. Haec olim praecipua fuere remedia in febres intermittentes; et etiam per hodiernam praxin, bono saepe cum successu, usurpantur. Laudavit illustris SENAC miscelam centaurii minoris, aut pulveris viperini; unde Chinae virtutes adeo auatas esse testatur, ut ex iis commixtis febre liberati fuerint innumeri aegri, alia omnia incassum experti (*a*). Centaurium minus est species gentianae (*b*), cuius radix purissima amaritudine gaudet, et cum Cortice, forma electuarii, juncta, in intermittentibus frequens propinatur. Quaenam virtus pulveri inesse viperino possit, haud equidem video.

HACTENUS de iis quae Corticem vel praecedere vel concomitari solent; pauca autem sunt dicenda de Chinae effectibus in ventrem inferiorem, qui, du-

(*a*) Recondita febrium natura, p. 197.

(*b*) Linnaci species plantar. edit. ult.

rante ejus exhibitione, caute semper notari debent. Si Cortex igitur alvum stringat, eccaprotiis aut purgantibus jungendus est, secundum celeb. BIANCHI (*a*). Monuit autem illustris SENAC purgantia, dosi solito minori, Quinquinae jungenda esse, quoniam haec illorum vires catharticas intendit (*b*). Alvum, durante Corticis usu, strictam, clysteribus, potius quam purgantibus, solvi jubet HOFFMANNUS (*c*).

CUM vero alvum solverit (*d*) ipse Cortex, et diarrhoeam, vires suas infringentem, induxit; tum vis cathartica est opio compescenda. China quidem eo certior alvum ducit quo recentior *; sed quoniam semper vi leniter stimulante gaudet, alvum saepius movet quam constringit †.

AN Cortex in initio, an in progressu morbi, rectius sit administrandus, jam supra diximus: nunc itaque videamus, paroxysmi an intermissionis tempore, propinari debet. Ex auctoritate SYDENHAMIANA, plerique practici Cinchonam, non nisi in

* Hic vero notandum est, quod si Cortex leniter tantum alvum ducat, opio haud corrigi debet; quoniam intermittentes inveteratas leni catharsi nonnunquam feliciter compescuit. *Vid. Wilson on the autumnal dysentery*, p. 47. Et hinc Chine rhabararum semper uniri suafere Mead, Monro, et Wilson.

† Hinc alvi contractionem habitualem Cortice feliciter solvi notavit egregius Werlhoff, p. 84.

(*a*) Hist. hepatic. p. 111. 287. (*b*) Ibid. p. 198.
(*c*) De recto Chine usu. (*d*) Hoffman. ib. Ray's hist. plant.
apyrexia,

apyrexia, exhiberi jusserunt. Eam etiam, vicibus partitis, per totum intervallum assumi voluerunt; ut debita quantitas una in apyrexia ingereretur (*a*): parum enim prodeesse videtur, pluribus ingestā intermissionibus.

FUIT vetus praxis, Corticem per unam vel alteram largam dosin, paroxysmo appropinquante vel in ipso horrore, propinare.

LISTERUS, in mantissa ad exercitationes de hydrophobia (*b*), ita inquit. “ Si Cortex una vel altera hora ante adeuntem paroxysmum propinetur, quando scilicet corporis est integritas, debellat plus una ejus dosis quam decem alias exhibitae (*c*).” Testatur etiam clariss. WERLHOLE, Corticem ita exhibitum saepe ipsam instantis paroxysmi accessionem sustulisse (*d*). Huic vero sententiae repugnat celeber. TORTI. Ait enim, “ Quae China china exhibetur paucis admodum ante accessionem horis, ea pro inhibenda hujusmodi accessione nihil valet (*e*).”

INCLARUIT olim empyricus quidam Anglus, nomine TALBOTIUS, ex remedio quodam specifico, tempore paroxysmi exhibito: arcanum hoc, magno, a rege Gallico, emptum pretio, erat infusio Corticis, in vino rubro, cum succis emollientibus, aromaticis, vel acetosis varie temperata (*f*). Nuper in noso-

(*a*) Werlhoff, p. 88. (*b*) P. 90. (*c*) P. 90. (*d*) De febribus, p. 171. (*e*) Ibid. p. 161. (*f*) Vide Werlhoff, p. 90. Blegney du remede Anglois, p. 41.

comio Londinensi, Sancti Bartholomaei dicto, sub auspiciis ingeniosissimi medici Doctoris PITCAIRN, multis aegris febre intermittente laborantibus, in ipso paroxysmi initio, Corticis dr. duas vel tres una dosi fuere propinatae. Eorum historias mihi retulit benevolens industria gratissimi mei amici, DAVIDIS MILLAR, M. D. in literis suis Londini scriptis. Effectus Corticis ita exhibiti erat in plerisque prosperus. Paroxysmum ipsum nunquam ex integro sustulit; breviorem tamen, ut et mitiorem, saepius reddidit. In quibusdam paroxysmus haud amplius redibat. Operandi modus nunquam sensibilis. Tussi laborantibus expectorantia praebebant. Si primae viae laborarent, si obstructionis vel hydropis essent signa, emetica et cathartica praemittebant. Vidi ipse eadem experimenta in nosocomio regio Edinburgeno, sub expertissimis medicis DRUMMOND et CLERK, nuperrime instituta. Idem erat hic observandum, ac in nosocomio Londonensi.

UTCUNQUE autem sit Cortex exhibitus ita ut paroxysmus tollatur; uni sublato fidere non licet, sed recidivus, repetito Corticis usu diebus intercalaribus, praecavendus. Quousque continuari debet, ex re nata judicandum est. Non autem omnino abstinendum, donec laesae functiones sanae iterum et integrae restituantur (*a*). Continuationem Corticis

(*a*) De hac re consule doctis. Werlhoff, p. 150. 157. 162. &c.

MORTONUS

MORTONUS enixe suasit ; quia, hac omissa, febrem faepius recrudescensem vedit. Sed in hanc praxin dubium movit SYDENHAMUS, monens se rheumatismum scorbuticum a longa Chinæ continuatione ortum vidisse (*a*). In hoc autem bonus vir hallucinatus esse videatur. Afferuit enim GRAINGER, se a Cinchonae usu rheumatismum scorbuticum nunquam comperisse ; sed observasse scorbutum saepe intermittentes sine Còrtice curatas sequi (*b*). Cachexiam, scorbutum, et hydropem intermittentes, aliter tractatas, supervenisse testatur MEIBOMIUS (*c*). Testatur idem celebri WERLHOFF. “ Multos vidi,” inquit, “ ex aliorum impotentiorum remediorum usu, “ interdum etiam methodico, cacheoticos, et hydro-
“ picos, et tympaniticos, quidem plerumque imme-
“ dicabiles ; nullum ex genuina Corticis dandi me-
“ thodo (*d*).” Suasit ergo illustris. vir, ut continuaretur Cortex donec sanitas rediret integra. Liquet ergo ex his innumerisque aliis medicorum testimoniis, nullum ex continuatione Corticis metuendum esse periculum ; namque ad recidivum praecavendum omnino esse necessariam.

EVACUATIONES, quaecunque sint necessariae, post febres China curatas, tuto institui possunt (*e*).

(*a*) Ibid. p. 108.
mica, § 37.

(*d*) Ibid. p. 56.

(*b*) De febre intermittente epidemica, Epist. responfor. I.

(*e*) Werlhoff, ibid. p. 96.

De purgationibus quidem dubitatur, quod MORTONUS monuit catharticas post Corticem vires ejus inefficaces reddere, et morbum revocare. Narrat etiam, se morbum recidivum vidisse vel ab enemate catharsi, post aliquot hebdomadas a quo peracta erat curatio (*a*). SYDENHAMUS pari modo purgantia, post febrem Cortice fugatam, vetuit (*b*). Hanc autem opinionem a propria sua experientia refellens, BIANCHI, affirmat, se aegros a febre liberos, post exhibitum Corticem, tutius a relapsu, per subrogata purgantia, praecaveri cognovisse (*c*). Tuta etiam, et nonnunquam necessaria esse cathartica, monuere celeberrimi in arte viri, WERLHOFF (*d*), LANCISIUS (*e*), HOFFMANNUS (*f*), CLEGHORN (*g*), SAUVAGE (*h*), PRINGLE (*i*), &c.

SUPPOSUIMUS hucusque Corticem per os esse exhibitum, quod ita in adultis fere omnibus exhiberi possit. Infantes vero plerumque eum, quantitate debita, deglutire renuunt: unde auxilio optimae hujus febrifugae privantur. Egregium autem in his angustiis nobis commonstravit subsidium, ingeniósus medicus SAMUEL PYE; scilicet, ut indua-

- (*a*) Pyratologia, p. 176. (*b*) P. 306. (*c*) Histor.
hepat. p. 283. 644. (*d*) Ibid. p. 96. vid. etiam hanc
rem plenius tractatam, p. 152. lit. (*f*). (*e*). L. II.
epid. 4. c. 8. § 22. (*f*) Tom. 4. p. 64. (*g*) Dis-
eases of Minorca, p. 94. (*h*) Nosolog. method. p. 341.
(*i*) Ibid.

tur infantulus, indusio ex duobus laminis syndonis, cum interposito Corticis pulvere, confecto. Hac methodo plures infantulos, intermittente laborantes, sanavit (*a*). His, et etiam adultis, qui vel nolunt vel nequeunt eum ore accipere, clysmatum forma, in intestina, cum successu injici potuit (*b*). Observandum autem est, haecce enemata diarrhoeam saepe excitare; unde Corticis vires irritae redduntur. Hanc ut praeveniamus, sopienda est intestinorum irritabilitas narcoticis, vel simul vel paulo ante exhibitis. Hic etiam cavendum est, ne, frequenti nimis narcoticorum usu, fatalis his partibus inducatur atonia (*c*).

HAEC sunt generalia de Corticis usu in febribus intermittentibus; sed pro vario intermittentium typo, variisque symptomatibus, pauca sunt varianda.

IN quotidianis sanguis invenitur esse densior, eoque proprius ad statum inflammatorium ut accedit necessum est (*d*). An igitur in his evacuationis dilutionisque major necessitas, et Cortex serius exhibendus? certe in quotidiana castrensi,

(*a*) London medical observations, vol. 2. p. 245.

(*b*) Hoffman. Van Swieten, § 767. Helvetius, methodus febres ita curandi ut nihil ore assumatur, p. 4. Senac, ibid. p. 8. Monroe on diseases, an. 1764, p. 186.

(*c*) Recondita feb. natura, p. 231.

(*d*) Dr Langrish's modern theory, c. v.

celeb. PRINGLE malos observavit effectus a Cortice ante evacuationes exhibito. Curationem ergo aggressus fuit v. s. aliisque antiphlogisticis, et nonnunquam his eam perfecit. Talibus vero praemissis, si perseveraverit, aut exacerbata fuerit febris, tum demum Corticem, et optato semper cum successu, exhibuit (*a*).

BREVITAS intervalli, in quotidianis, Chinam vix debita quantitate introduci sinit. Incipendum est igitur quam celerrime, ubi calor paroxysmi deferbuerit; vel etiam antequam febris plane abi- verit, uti suasit expertus GRAINGER (*b*). An vero methodus Cinchonam in ipso paroxysmi horrore exhibendi, huic typo praecipue sit accommo- data?

QUARTANAЕ sunt omnium intermittentium tenacissimae, adeo ut omnia olim medicamina illu- serint, et nunc etiam vi Corticis nonnunquam re- sistunt. Unde SYDENHAMUS monuit, eas Cortice suspendi saepius quam tolli (*c*). Quinimo vis vitæ et systematis nervosi debilitas, in quartana quam in ulla alia intermittentium specie, major esse videtur; unde maxima frigoris sensatio observatur, praefer- tim in senibus quartana laborantibus (*d*). Nonne hinc ratio patet, quare in hoc morbo Cinchona mi-

(*a*) Ibid. edit. 4ta, p. 212.

(*b*) Ibid. p. 115.

(*c*) P. 93.

(*d*) Com. § 749.

noris sit efficaciae, et melius succedat stimulantibus adjutus? Stimulantia quae huic indicationi inserviant, sunt aromatica, et inter haec praecipue serpentaria Virginiensis. Dum viscera sunt integra, misturam ex pulvere Cornachini, agarico, et sale ammoniaco, cum Cortice Peruviano, ut egregiam laudat claris. SENAC (*a*).

TANTUM de quotidianis et quartanis; et jam pauca annotanda sunt in eas intermittentium varietates, quarum paroxysmi insolitis sub symptomatibus quasi larvati incedunt; et tamen cum periodici (*b*) sunt, Cortice itidem tuto sanantur (*c*). Insignem hujusmodi casum memorat celeber. STORCK, in quo periodica amaurosis virum quotidie corripuit, visu iterum post binas horas integro redeunte. Assumebat aeger Corticis unciam unam omni hora, et intra unam diem perfecte erat sanatus (*d*). Puer novem annorum, paroxysmo quotidiano convulsionum, dein tetano, misere erat cruciatus, remediis decantatissimis frustra tentatis, donec vires aegri prostratae fuerunt; exhibuit tandem idem egregius vir, intercalari tempore, Corticis extracti dr. vi.; hoc assumpto, proximus paroxysmus erat

(*a*) Ibid. p. 225. (*b*) Senac recond. feb. p. 100.

(*c*) Et praecipue si cum frigore et horrore incipiunt, aut cum prodit urina lateritia, intermittentis infallibile pathognomicum, secundum Senac, ibid. iii. (*d*) Ann. i. p. 76.

mitior, et repetito extracto puer evasit tandem fatus, robustus (*a*).

INSIGNEM memoravit SYDENHAMUS intermittentium speciem, cuius paroxysmi non more solito, cum horrore, rigore, et calore, accedebant, sed cum horrendo insultu apopleptico. Larvatam vero et periculosam, solita sua sagacitate, intermittentem suspicatus, Corticem sine mora exhibuit (*b*). Hanc praxin ex professo illustravit, multisque sustinuit exemplis, in eruditissimo suo libro de febribus, illustris archiater WERLHOFF. Ad intermittertes larvatas etiam referendae sunt pleuritides periodicae, MORTONO (*c*) memoratae, cum febricosis apud TORTI et SENAC descriptis, et Cortice felicititer tractatis (*d*). Hos autem morbos omnibus nonnunquam Corticis viribus indomabiles mansisse, ingenuus fassus est celeber. STORCK. An quia non verae fuere intermittentum naturae? non omnis enim morbus periodicus de indole est intermittertum, aut Cortice curabilis.

INTERMITTENTES vel anomalis cum symptomatibus stipatae, vel aliis cum morbis associatae, Cinchona sunt curandae. Ita intermittentem, cum convulsionibus et aphonia, Quinquinae usū cito tolli

(*a*) An. II. p. 166. (*b*) Epist. responso. I. p. 307.

(*c*) De intermittentium diagnosi, p. 88.

(*d*) Vid. Sauvage nosolog. method. vol. 2. p. 462.

monuit celeber. VAN SWIETEN (*a*). Vir nobilis, in haemorrhoides caecas et podagram pronus, febre intermittente, cum delirio, horrendisque convulsionibus epilepticis, correptus fuit; sed paucos intra dies per Corticem liberatus convaluit *. Febrem intermittentem tertianam, et quartanam duplicem, cum arthritide (*b*), Cinchona debellatam memorat celeb. WERLHOFF (*c*).

Si febres intermittentes morbum quemcunque supervenient, Cortice illico sunt medendae †. In ictero confirmato et immedicabili, orta est febris intermittens, gravissimis stipata signis; conserva autem ex Cort. Peruv. et sale polychrest. exhibita, febris brevi disparuit; et continuato Cortice, cum fero lactis, icterus itidem subactus fuit, et aegra perfecte convaluit (*d*). Horripilationes et febris periodicas exacerbationes, pessimam peripneumoniam super-

* Liceat hic in transitu notare, Sydenhamum in ipsius podagrae intermissionibus Corticem suasisse. *Vid. Tractatum de podagra.*

† Generalis haec regula nihil valet, cum ab intermittente superveniente boni aliquid sit expectandum; nonnunquam enim graves morbos intermittens superveniens solvit. Ita epilepsiam et convulsiones solutas fuisse monuit Hippocrates, *epid. lib. 5. tom. 6. sect. 5. aphor. 70.* Epilepsiam Galenus, *epid. 6. sect. 6.* Paralysin, asthma convulsivum, podagram, calculum, aliosque morbos, Hoffmannus, *tom. 4. & 6.*

(*a*) § 767. (*b*) Werlhoff de febrib. p. 250. (*c*) Ib. p. 55.

(*d*) An medicus, *an. 1. p. 92.* Corticem etiam in ipsa febre ictérica laudatam invenies in Commer. literar. Norimberg. anno 1731, hebdom. 23. p. 182.

venientes, magna Corticis copia suppressit clariss. STORCK (*a*). In morbo praesertim exanthematico, **C**hina illico compescenda est febris intermittens. “Vires enim vitae debilitat, et naturam,” sunt verba celeber. STORCK, “ad exanthemata luctantem obruit (*b*).” “In periculosissimis,” inquit, “morborum circumstantiis, si periodicae horripilations et manifestae febris calorisque intentiones observatae fuerunt, tum **C**hina subitum levamen attulit (*c*).” Addidit egregius vir, “Si hae mutationes ab imminente suppuratione ortum suum duxerunt, tum parum juvit (*d*).” Intermittentes mammarum cancros tumoresque malignos supervenientes, dum horum curationem cicutâ gerebat, Cortice cum cicuta associato fugavit (*e*).

S E C T. II.

In febribus continuis exacerbantibus.

SANA utcunque cum theoria, febres remittentes de indole intermittentium esse suspicamur; cum nulla tamen spectabilis apyrexia adest, de tuto Corticis usu apud plerosque dubitatur. In febribus biliosis remittentibus, licet remissiones fuerint

(*a*) An. II. p. 38. (*b*) An. I. p. 26. 31. (*c*) Ib. p. 59.
 (*d*) Ib. p. 50. De hac re consule etiam Werlhoff, ibid. p. 51.
 (*e*) Dissert. de cicuta, part. 2. cas. 2.

in signes,

insignes, et urinae sedimentum felicem a China curationem promiserit, eam tamen, ante plenam intermissionem antiphlogisticis inductam, injuriosam invenit expertis. PRINGLE (*a*). Interea autem hoc pro certo constat, Corticem potentem esse in febres remittentes ex intermittentibus natas. Stabilivit hoc praxis SYDENHAMIANA, quae in febribus hujusce constitutionis, primam et vel minimam remissionem, ut Chinam propinaret, arripuit. Huic etiam adjiciamus nuperiorem experientiam clariss. MONRO, quae idem edocuit (*b*). Omnibus autem audacior MORTONUS, monuit, se Corticem, modò methodo ad variantia symptomata accommodata fuerit exhibitus, aequo curativum invenisse in his febribus (*c*), ac in ipsis intermittentibus (*d*). Cum statas exacerbationes et remissiones observavit, narrat, se Corticem semper, et vix unquam sine felici successu, propinasse (*e*) ; et, ut hujusce theseos veritatem sustineret, multas morborum historias ita feli-citer tractatorum recensuit (*f*). Admonuit insuper, quod mirum est, febres inflammatorias Chinam duplci saepe quantitate irritam reddere (*g*). Monendum autem est, MORTONI praxin cum Cortice in febribus caute imitandam esse ; scilicet ut pecu-

(*a*) Diseases of the army, edit. ult. p. 212. (*b*) Ibid.

(*c*) Mortonus eas continentis vocat, *Exercit.* 1. p. 68.

(*d*) Exercit. 2. p. 290. (*e*) Ibid. p. 343. (*f*) Ibid. p. 351.

(*g*) Ibid. p. 297.

liari theoriae de earum natura accommodatam.
 Audi enim, qua cum ratione ejus usum auspicatur. “Quid opus est,” inquit, “multa verbo-
 rum ambage, ubi natura potius quam arte res
 “agenda sit, siquidem antidotus quocunque modo
 “exhibitum, modo exhibeat, venenum delet? ut
 “paucis rem absolvam, simplex hujuscē febris na-
 “tura, nihil praeter antidotum forma aegrotanti
 “gratissima exhibendum exigit (a).”

In febre, quam continuo remittentem vocat
 illustris STORCK, Corticem magna dosi exhiberi
 jussit, si exacerbatio aegrum nimis defatigaverit (b).
 In catarrhali febre, per sputum judicari solita, ubi
 exacerbationes periodicas cum levi horripilatione
 observavit, Chinam, post paregorica cum nitro,
 &c. propinavit, sine ulla paroxysmi mitigatione;
 et, quod observatione dignissimum est, sine ullo
 aegrīs damno aut crisi impedimento (c). In febre
 rheumatica exacerbationes periodicas Corticis usu
 lenivit (d). Tritaeophyam eloden aut diaphoreticam
 inter species febrium remittentium numeravit
 SAUVAGE, testaturque se eam bis Cortice curatam
 vidisse (e).

(a) Exercit. 2. p. 342. (b) Annus medicus, an. 2. p. 103.

(c) Ibid. p. 28. (d) Ibid. p. 129. (e) Nosol. method. v. 2.
 p. 296.

S E C T. III.

In febribus nervosis.

OPTIME de his febribus differuit celeber. HUXAM; et in descriptione, quam graphicē et methodice tradidit, summa functionum omnium, per totum morbi decursum, debilitas notanda est.

IN functionibus animalibus ad motum impotentia, cum summa lassitudine. Sensus omnes hebetant. Appetitus vix ullus, aut fastidium.

IN vitalibus. Pulsus frequens, debilis, inaequalis; respiratio anxia, difficilis.

IN naturalibus. Parum ingeritur, parumque excernitur. Urina limpida. Lingua sicca, tremula. Qualitates sensibiles sunt pallor, squalorque faciei, cum fiammis fugacibus. Omnes demum resolvuntur vires, et convulsiones tremoresque tragoeediam claudunt (a).

CUM tanta ergo est omnium virium prostratio, aliisque remediis plerumque insuperabilis, nonne probabile videatur, Corticis usum et tutum et salubrem, etiam in initio, esse potuisse? Multum equidem vereor ne

*fero medicina paretur,
Cum mala per longas invaluere moras.*

(a) Vide Huxam, et Lieutaud precis de medecine, sur le titre de fevre maligne, edit. 2. p. 31.

Nec quicquid video, quod in initio Chinam vetet; multa autem quae eam postulent, cuilibet rem rite contemplanti, facile apparebunt.

CELEBER. virti HUXAM et LIEUTAUD Corticem non nisi ad declinationem morbi praescripsere, et praeципue cum sudores colliquitivi aegrum, aliter convalescentem, debilitaverunt (*a*).

S E C T. IV.

In febribus putridis malignis.

SAGAX et ingeniosus PRINGLE, morbos putridos malignos, a putrido miasmate, sanguinem inquinante, fibrasque motrices resolvente, ortos, non sine gravissimis rationibus, putavit (*b*). Morbum in tria stadia divisit.

PRIMUM, a tempore quo incipiebat, ad id in quo decumbere aeger cogitur. Methodus medendi in hoc stadio, est imprimis aëris renovatione cum emeticis, alexipharmacis, et si plethoricus sit aeger, v.s. Secundum, a tempore decubitus, donec pulsus viresque labascunt. Hoc stadium gravia multa et fallacia symptomata comitantur, unde meth. med. prudentem utique et exquisitam requirit, quam vide (*c*). Tertium, cum pulsus languescere

(*a*) Ibid. (*b*) Diseases of the army, edit. 2. p. 305.

(*c*) Ibid. p. 271.

incipit,

incipit, cum virium prostratione, stupore, petechiis, &c. tum felici adeo cum successu Corticis et serpentariae decoctionem (*a*) exhibuit, ut ex triginta novem aegris, quatuor tantum fato succubuerint (*b*). Monuit insuper se Chinam saepissime, et fausto semper cum eventu, exhibuisse, etiam (*c*) praesente delirio (*d*).

MEMORATUR apud celeber. HUXAM, insignis casus viri febre putrida correpti, in quo paene universalis tum fluidorum tum solidorum dissolutio apparuit. Cinchona autem, cum spir. vitrioli, exhibita, aegrum in novam vitam revocavit, sanitatemque illibatam restituit (*e*). Idem celebris vir in hisce febribus decoctionem Corticis cum serpentaria, cochinchina, &c. laudat (*f*). In febre putrida, quam tanta comitabatur vis vitae dejectio, ut vesicantia nil operata sint, Cort. extr. cum spir. vitriol. optimum invenit remedium illust. STORCK, adeo ut omnes eo utentes salvi evaferint (*g*).

NOBILISSIMA matrona a febre putrida in hecticam incidit. Offa femorum et innominata erant

(*a*) Vide formulam huic indicationi optime accommodatam, sub titulo, *Decoctionum antifebrile*. Lewis's new dispensatory, p. 554.

(*b*) Ibid. p. 276. (*c*) p. 278.

(*d*) De tuto Corticis usu in febre continua cum delirio, vid. exemplum citatum illustris. Crantz, M. M. pars 2. p. 27. art. *Peruv. Cortex*.

(*e*) On fevers, edit. 2. p. 66. (*f*) Ibid. p. 122.

(*g*) An. med. an. 2. p. 115.

ulceribus pessimi moris obsita, exesa. Vigilium, apositia, livor faciei, pulsus parvus frequens, cum urina pure onusta, marasmus desperatissimum minitabantur. In hoc discrimine praescripsit medicus Cort. unc. duarum in aqua decoctionem cum lacte caprina quotidie assumi; et ex hoc solo remedio, post quatuor menses, ea sanissima evasit (*a*).

In dysenteria.

IN dysenteria quinque sunt indicationes.

1ma, MATERIEM acrem et scybala evacuare.

2da, ACRIMONIAM remanentem aut de novo generatam corrigere,

3ta, MATERIEM perspirabilem ab intestinis revellere.

4ta, TENESMUM et tormina lenire.

5ta, AMISSUM intestinis tonum restituere.

INDICATIONI 2dae et 5tae optime respondebit Cortex. Acrimonia in hoc morbo a putrefactione oriri videtur; unde faeces putride spirantes contagiosae fiunt (*b*). Cinchona hanc indolem sine dubio corrigere possit, quoniam vi insigniter antiseptica pollet, uti constat experimentis claris. PRINGLE; et quod ipse ego in aliis inveni. Minime

(*a*) De Haen ratio medendi, p. 224.

(*b*) Pringle, edit. ult. p. 263. Degnerus, histor. dysenteriae, cap. 2.

vero tuta est Cinchonae exhibitio in primo morbi stadio, antequam scilicet inflammationem tempus leniverit, aut methodus antiphlogistica compescuerit. Haec cautela praecipuae est utilitatis in dysenteriis veris et hyemis, quae indolis sunt maxime inflammatoriae (*a*). In pessimo dysenteriae genere, cum aphthae os aegri obsidant, instantem in intestinis gangraenam indicant; et spes sola est in Cortice; ergo sine mora is exhibendus est; et in maxima quantitate, quam ferat aeger, quem haud raro a morte, aliter ineluctabili, vindicat (*b*). Non autem tacendum est, indoluisse celeber. CLEGHORN, se Corticem in ultimo dysenteriae stadio, ad minitantem gangraenam praecavendam, exhibuisse, rarius eo quem exoptavit successu (*c*). Haud video quid vetat, quin Chinæ decoctionem in rectum injiceremus, unde malum citius ac certius domaretur, et praesertim cum morbus hicce in intestinis magnis sedem suam habet (*d*). Si per os exhibitus sit, fortis decoctio pulvere melior esse videtur, quoniam citius per pylorum fluat, et faecibus sese putridis, eas correcturam, immisceat. In hoc consentit praxis optimorum medicorum WHYTT et PRINGLE (*e*). Tenesmus in hoc mor-

(*a*) Pringle, ibid. p. 237. (*b*) Vid. Wilson on the dysentery, p. 29. (*c*) Ibid. p. 237. (*d*) Vid. dissectiones cadaverum dysentericorum apud Pringle, Morgagni, Baker, et Monro. (*e*) Vid. Pringle, ibid. p. 245.

bo videtur esse cum inflammatione, nec, nisi post evacuationes, narcoticis compescendus. Sed cum acrimonia putrida tenesmi fomes est continua, Cortex huic quoque indicationi respondeat, quatenus acrimoniam hanc corrigit. Pulchre ergo et utilissime cum confectione Japonica (*a*), sub electuarii forma, secundum praxin celeber. nostri profesaroris WHYTT, conjungi potest (*b*). Cum debita med. meth. graviora symptomata leniverit, ultimo restituendus est solitus intestinorum tonus ; ne aeger, aucta eorum sensibilitate, facilius in eundum morbum recidivus incideret. Huic scopo optime inservit nota vis Corticis adstringens (*c*). Quinino, cum antisepticus est, corrigat manentem adhuc diathesin putrefactoriam humorum, et integrum sanitatem restituat.

MORTONUS olim Corticem cum opio in curatione dysenteriae praescripsit, et feliciore longe cum successu, quam ubi opio per se utebatur. Morbum hunc vocat diarrhoeam cum torminibus (*d*), quae apud alios dysenteria audit. Si dysenteriam intermittens superveniret, cum periodicis exacerbationibus, Corticem in remissione propinari suadet (*e*). In omnibus dysenteriis, simul ac remitterentur do-

(*a*) Vid. Pharmacopoeiam Edinburgens. (*b*) Vid.
Pringle, ibid. p. (*c*) Pringle, ibid. p. 246.
(*d*) Exercit. I. p. 185.. (*e*) Ibid. p. 190.

lores, Chinam cum opio jussit (*a*). Idem etiam remedium in dysenteriis castris propofuit (*b*). Duas hic historias insigniores, in quibus Cortex singularis erat efficaciae, ex MORTONO breviter recensebimus.

PRIMA. Mulierem sub intermittente laborantem immitis tandem dysenteria corripuit, cum urina ruberrima, turbata. Praescripsit statim MORTONUS decoct. alb. pro potu ordinario; tum per opiatum induciis ab horrendo dolore impetratis, Corticem exhibuit, unde brevi dysenteriam et intermittentem subegit. Corticem tum repetendum ad prophylaxin suasit; sed cum sperneretur consilium, mox recrudescebat morbus, cum spasmo universali mirum in modum aegram excruciantem. Morbus tandem in ophthalmiam dolorificam abivit; ab hac autem methodo antiphlogistica cum Cortice liberata, mulier perfecte convaluit (*c*).

SECUNDA. Mulier toto graviditatis tempore dysenteria laboraverat, quae, opiatis et adstringentibus incassum tentatis, post partum exacerbata erat; tum vero China cum diacordio exhibita eam feliciter compescuit (*d*).

In dysenteriis plerisque observabat MORTONUS remissiones et exacerbationes, et tum semper Cor-

(*a*) Append. p. 424.

(*b*) Ibid. p. 426.

(*c*) Exercit. I. p. 201.

(*d*) Ibid. p. 207. et 344.

ticem in remissione propinabat, faustissimo cum eventu (*a*). Haec bene conveniunt cum observationibus celeber. CLEGHORN, qui in hac re nos ita admonuit, febrem et torments, cum periodice exacerbarentur, Cortice saepius curari, et praecipue ubi exacerbations cum horrore incipientes in sudorem terminarentur (*b*).

In Petechiis.

PETECHIAE (*c*) tum praecipue solent erumpere, cum putrida labes humores inficit, vitaeque vires prostravit; adeo ut a multis dubitari videtur an quidquid sint praeter malignum febris putridae gradum.

UTCUNQUE vero haec sint, petechiis extantibus, si Cortex detur, mox omnia symptomata lenit, vires revocat, et morbum ad felicem exitum saepius perducit. Sed praeterea, si deficiente vi vitae maculae introcedant, China eas evocet, cum certo aegri levamine (*d*). Laudatissimus DE HAEN multas narravit historias, egregios Cinchonae usus demonstrantes (*e*). Expertus fuit mictum cruentum alisque aeruginosam depositionem, symptomata in petechiis permaligna, Corticis exhibitione in natura-

(*a*) Appendix, p. 424. &c. (*b*) Diseases of Minorca, p. 236. (*c*) Purpura dicta apud Sauvage. Nomencl. method. vol. 2. p. 214. (*d*) Ibid. p. 245.
(*e*) P. 163. 245.

liā mutare (*a*). Monuit tamen necessum esse ut larga dosi esset exhibitus (*b*).

ANNON tutius semper foret, in initio hujus morbi, modo febris non vehemens, nec inflammationis signa adsint, Corticem dare? scilicet ut diathesin putridam praeveniamus. Tanta enim est hujus morbi malignitas, ut praeceps in lethalem, nec China facile compescendam, gangraenam ruat. Ergo monitum hocce celeber. HAENEI in his, ut in aliis exanthematibus, utilissimum esse videtur; nempe, “Cortex Peruvianus, vel declarante se “malignitate, vel cum ipsa exanthematum eru-“ptione, vel etiam ante eruptionem eorum, vel ab “ipso morbi initio, illico summo cum effectu da-“tus est (*c*).” Nonne morae huic tribuenda Cor-“ticis inefficacia, fidissimo viro STORCKIO exper-“ta (*d*)? Habet et ipse DE HAEN casum unicum, in quo, morbo improvide protracto, et magna cum malignitate exasperato, Chinam frustra propina-“vit (*e*). Nec tamen, in pessimo hoc rerum statu, omnino desperandum est, nec a Cortice abstinen-“dum; melius enim est anceps quam nullum expe-“riri remedium. Exstant etiam exempla ejus effica-“iae, in desperatissimo hujus morbi stadio. Celeber. HUXAM Cinchonam, in febribus malignis pete-

(*a*) P. 164. (*b*) P. 165. (*c*) Ibid. p. 159. (*d*) Ibid.
an. I. p. 20. (*e*) Ibid. p. 248.

chialibus, cum successu exoptato, exhibuit (*a*). Narravit historiam febris petechialis celeber. STORCK, in qua pessima symptomata, cum ulceribus in ore foetidis, citam praesagiebant gangraenam; hanc autem Cortex largiter exhibitus sistebat, et tum aliorum remediorum ope, praeter omnem spem, sanus evasit aeger (*b*). In alio casu, morbus ab initio gravis, ab ipso tamen aegro in 4tum diem neglectus erat; unde tantas vires acquisiverat, ut, Cortice omnibusque aliis remediis non obstantibus, poenas negligentiae suae luebat infelix aeger, et morti succumbebat (*c*). In febribus petechiabis a propria sua experientia Chinam laudat claris. VOGEL (*d*).

S E C T. V.

In suppuratione promovenda et gangraena sistenda.

AD suppurationem laudabilem, certus requiriatur vis vitalis gradus. Peccare igitur potest vis vitae vel in debilitate, vel in vehementia. Haec enim omnia perturbat, et in gangraenam, nisi evacuationes, v. s. et alia medicamenta antiphlogistica interveniant, brevi praecipitat; illa autem Cinchonae, quae felicissimo plerumque cum successu ministra-

(*a*) Ibid. p. 54. & 66.

(*b*) Ibid. an. II. p. 77.

(*c*) Ibid. p. 106.

(*d*) M. M. p. 289.

tur,

tur, praecipue poscit opem. Cum atonia igitur sit ille corporis status, in quo Corticis vis suppura-toria deposititur, nonne verosimillimum videatur Chinam huic indicationi respondere, eam energiam, quae inflammationi necessaria sit, cordi vasisque re-stituendo? Sine inflammatione enim nulla suppu-ratio. Atonia autem est ea debilis fibrarum con-ditio, cum qua inflammatio cieri nequit. Ergo cum atonia, nulla suppuratio. Videamus quantum cum morbi natura haec hypothesis conveniat. Sitque in exemplo cruris amputatio; quam, si male cesserit, haec symptomata sequi possunt: pulsus celer de-bilisque, anxietas circa praecordia, caro ad partem amputatam pallidè-rubra, tenui serofoque liquore suffusa. Detur cortex. Brevi tempore fit tardior fortiorque pulsus, calor amoenus corpori redit, et bonum et laudabile pus parti vulneratae, jamque vividae, affunditur (a). Ingeniosus autem juvenis JOANNES MORGAN, in dissertatione sua de puo-poiese, superiori anno edita, satis, ut opinor, pro-bavit pus esse secretionem, et certum vasorum se-cretiorum conformatio[n]em requirere. Quae con-formatio videtur esse vel maxime atoniae contraria; hujusque praesentiam, symptomata prius memo-rata clarè indicant. Ex his igitur liceat hanc con-clusionem ducere, atoniam cordis arteriarumque, motum illum oscillatorium, in quo consistit inflam-

(a) Ranby on gunshot-wounds, edit. 2. p. 67.

matio, impedire, eoque suppurationem reprimere; Corticemque, tonum debitum restituendo, eandem promovere.

CUM membra partem gangraena occupavit, rapideque serpit, si Corticis dr. una aut plus, modo aegri stomachus ferat, quarta quaque hora detur (*a*); mirandum utique est quam cito malum sistat, partesque adhuc vivas, geometrica fere cum exactitudine, a mortuis separet. Huic etiam proposito multum inservit forte decoctum parti gangrenosae applicatum (*b*).

PRIMUS qui Corticis virtutes in suppuratione promovenda, sphaceloque praecavendo, detexit, erat egregius chirurgus JOANNES RUSHWORTH (*c*); vir aeternam, ex divino hoc invento, meriturus laudem. Experimentis ejus rationibusque persuasi, Chinam simili modo et successu exhibuerunt celeb. ejusdem temporis chirurgi; unde mox stabilitus erat hujus remedii usus et efficacia (*d*).

(*a*) Nec hanc vetat inflammatio in reliqua membra parte.
Vid. Ranby, p. 78.

(*b*) An. med. an. II. p. 22. Corticem quantitate unc. unius ad unc. sex, S. V. R. in B. M. pro duabus aut pluribus horis, digestum, tinturam saturatissimam praebere ab experimentis inveni. Nonne haec praeparatio huic proposito optime inserviret, quoniam et ipsum menstruum est antisepticum praepollens?

(*c*) An. 1715. *Vid. A proposal for improving the practice of Surgery*, by John Rushworth, p. 3.

(*d*) *Vid. Philosoph. Transactions*, N° 426. § 5. et Weflhoff de febribus, p. 256. observ. 48.

IN ulceribus parotidum suppurationem promovebat clariss. STORCK assiduo Chiae usu: hac enim omissa, pus illico bonum esse cessabat (*a*). Ulcera venerea, et praecipue bubones, qui, post mercurialia, ad virus venereum debellandum, satis assumpta, mali tamen ichoremque fundentes manebant; ad suppurationem Cortice perduxit et sanavit celeber. RANBY (*b*). Vulnera etiam sclopetorum, dum ichorem tenuem puris loco fundebant, China itidem insigni cum successu tractavit (*c*). Cinchonae quoque ad vim suppuratoriam merito referendi videntur insignes ejus a clariss. DE HAEN experti effetus in spina ventosa, et in cancro mammae. In hoc enim laudabile pus pro ichore venenato produxit, unde ferox morbus feliciter evanuit (*d*). Camphorae pauxillum ad sedandos cancri dolores Cortici conjungere suadet *. Qui Corticis vires in gangraena fistenda plenius testatas videre velit, adeat historias recensitas in aetis medicis Edinburgensibus (*e*).

Si quodlibet infortunium Chiae exhibitionem per os prohibeat, efficaciam ejus in intestina injecti,

* Ad suppurationem promovendam foetoremque putridissimum corrigendum, Corticem cum cicuta in cancro horrendissimo junxit celeber. Ludovicus Rouppe, de morbis navigantium, anno 1764, p. 333.

(*a*) An. II. p. 22. (*b*) On gunshot-wounds, p. 44.

(*c*) Ibid. p. 37. (*d*) Ibid. p. 225. (*e*) Vol. 3. Vide etiam De Haen rat. medend. p. 198.

experientia edoc̄tus, laudat celeberrimus vir, Monro sen. (a).

In variolis.

MORTONUS Cinchonae usum in variolis olim laudavit, sed praecipue post judicatum morbum; aut in aliis morbis malam in variolis crisi supervenientibus; sic cui, curatis variolis, languet convalescenti appetitus, nocturnique sudores corpus debilitant, ei corticem suadet (b). Si febris intermittens variolas sequeretur, Chinam more solito prescripsit. Cum tussis variolas, praesertim in hyeme, superveniens, et exacto morbo, perstans tamen peri-pneumoniam hecticam minitaretur; Corticem cum medicamentis emollientibus et v. s. si opus fuit, exhibuit (c). In strumis, post variolas male judicatas, Chinam propinari jubet; sed inflammationem, si aderat, v. s. prius extinxit (d). Cum sub initium maturatio-nis febris suborta est, remissionibus et exacerbatio-nibus periodice recurrentibus, Corticem, durante remissione, propinavit; unde variolae, benignarum more, citissime maturatae fuere (e). In variolis malignis, cum febris vel non cessavit, vel recidiya spiritus opprimit, mortemque intentat; tum Corticem jubet, cum vesicatoriis, alexipharmacis, et opiatis pro re nata adjunctis (f). Multas narravit historias, in quibus Corticem propinavit. E quibus

(a) Medical essays, vol. 5. p. 58. (b) De variolis, p. 384.

(c) Ibid. p. 327. (d) P. 330. (e) P. 249. (f) P. 298.

hanc,

hanc, utique memorabilem, breviter hic recensere liceat.

VIRGO aegrotabat, et nono die morbi, variolae erumpebant distinctae; febre autem perseverante, augebantur pustulae usque ad diem duodecimum, cum depresso, flaccidae, paene cohaerentes apparebant; suborta deinde salivatione, sine febre maturari coeperrunt. En autem! ptyalismo die decimo sexto subito suppresso, illa nocte aegra vigil et delira vehementem paroxysmum febrilem perpessa est; proximo die, febris remissionem pulsus celer et debilis indicabat, exanthemata erant depresso, lympha non pure cocto plena, aegra interim vigil et delira, sed non, ut ante, furiosa. In hoc rerum statu, vesicatoria ad carpos applicari jussit, et julapium sudoriferum cum L. L. praescripsit. His igitur sumptis, somno et mente fana fruebatur ad medium usque noctem; tum vero, recurrente paroxysmo, fit vigil et furibunda. Die proximo anodynum et medicamenta heri praescripta repetivit, sed nocte sequente recurrebat paroxysmus. Hoc ergo cessante, Corticem quarta quaque hora repetendum praescripsit. Proxima nocte redibat paroxysmus; sed repetito Cortice ptyalismus revocatus erat, et diarrhoea suborta aogram sine febre, sed languentem adeo reliquit, ut hysterica instaret suffocatio; tum vero julapium, ex Cortice castoreo et L. L. compositum, propinavit, unde brevi perfecte convaluit virgo.

PRIMUS

PRIMUS inter recentiores Corticem, ad promoven-
dam suppurationem in variolis, exhibuit celeber.
professor noster MONRO senior (*a*) ; vir laude qui-
dem nostra major, ad anatomiae scientiam excolen-
dam felici sub sidere natus. Ubi ad tempus debitae
suppurationis langueat vis vitae, si pustulae siccae
sint, aqua vel ichore impletae, circulo rubro desti-
tutae, cum maculis nigris interspersis ; Cortex lar-
giter ministratus et per intestina et per os, vim vi-
talem fuscitat, pustulas materie bona replet, et ae-
grum morte ab instantे rapit (*b*). Petechias pur-
pureas, languentibus aegri viribus, septimo die
erumpentes vidi celeber. STORCK ; exhibuit statim
Corticis extractum, cum paregorico et cardiacis,
unde vires mox redintegratae fuere, et morbus feli-
citer cessit (*c*). Pessimi autem est ominis, cum pe-
techiae nigrae ad ipsum eruptionis tempus appa-
reant, et sola spes est in China cum alexipharma-
cis (*d*). Sed etiam, cum pustulae in medio con-
ciderunt lividae, purpureae ; pulsu debili, extremis
frigidis, facie nunc rubente nunc pallente, non
desperandum est ; in simili enim casu, extractum
Corticis cum spir. vitrioli praescripsit illust. STORCK,
quod votis respondens, morbum cito in melius mu-
tavit (*e*). Chinam post quartum decimum diem

(*a*) Edinb. medical essays, vol. 5. p. 68. (*b*) Ibid. p. 87.
(*c*) An. II. p. 162. (*d*) Huxam ib. p. 54. (*e*) An. II. p. 159.
continuavit,

continuavit, licet tum omnis periculi suspicio disperauerat (*a*). In variolis lymphaticis Cinchonam esse remedium invenit celeber. HUXAM (*b*). Chinam variolas pessime contagiosas in benignissimas mutasse docuit DE HAEN (*c*). In benigniore variolarum statu, hodierna praxis bonos experitur effectus a Cortice, die secundo vel altero, ante expectatam suppurationem dato: hanc enim Cortex optime promovet; si tamen magna esset febris, is vix tuto exhiberi possit (*d*).

Si febris suppuratoria ad diem usque tertium decimum sece extenderet, periculosissima erit; at si intermittentis typum indueret, utcunque brevis sit intermissio, Cortex largiter assumptus egregium erit remedium (*e*): Monuit illustriss. STORCK, variolis perfecte sanatis, superstitione raucedinem gravem, et sanatu difficillimam nisi Corticis usu, quo brevi et tuto erat solvenda (*f*).

Cum morbilli (*g*) variolis immiscentur, quod nonnunquam accidisse testatur HAENEUS aliquique (*b*), non utique certus est Corticis salutaris usus. In

(*a*) An. II. p. 161. (*b*) Ibid. p. 153. (*c*) Ratio med. p. 99.

(*d*) See A proposal for improving the practice of medicine, by Malcolm Flemming. 1742.

(*e*) Halleri histor. morborum, p. 282. (*f*) An. II. p. 162.

(*g*) Rubeola rectius dicti. Sauvage nosolog. vol. 2. p. 386.

(*b*) Ex morbillis variolisque junctis obiit Maria Regina. Vid. Harris de morbis infantum, p. 189.

morbillis enim, insignis est determinatio ad pulmones, cum magno lethalis peripneumoniae metu; Cortex autem haud raro subitam constrictionem circa pulmones inducit, ideoque eos jam laborantes in periculum ducere potest. Monuere etiam celeb. MONRO et LEWIS (*a*), respirationem laboriosam, aliaque obstructionis pulmonicae signa, Chinam in variolis simplicibus vetare. Etsi haec autem Corticis liberiorem in morbillis cum variolis junctis usum prohibeant, haud tamen omnino prohibere videntur; nuper enim celeber. CAMERON tutam Cinchonam et efficacem invenit in morbillis, et solis, et cum morbis putridis comitantibus (*b*).

S E C T. VI.

In miliaribus.

ORTA est nuper, inter illustrissimos VIENNAE medicos, acerrima lis de vera miliarium indole. Afferuit clariss. HAENEUS exanthemata miliaria, sicut et petechialia, rarius esse morbi symptoma essentialia, sed ~~etiam~~, et pravae therapiae plerumque soboles (*c*).

HANC sententiam impugnavere illustres medici STORCK et COLLINUS, qui multa ratiocinatione ex-

(*a*) M. M. p. 429.

(*b*) Medical museum, p. 281.

(*c*) p. 244.

emplisque

emplisque demonstravere, miliaria esse vera et legitima peculiaris febris symptomata, nec culpabilis medelae semper progenies (*a*).

UTCUNQUE autem de natura miliarium disputatione expertiss. viri, satis consentiunt de Corticis usu et efficacia.

CLARISS. DE HAEN Chinam in febre miliari et rubra et alba, pessimumque cum symptomatibus, saepius salutarem invenit (*b*). Introcedente eruptione, Corticem largiter exhibuit; unde miliaria revocabat, cum omnium symptomatum, nempe anxietatis, respirationis difficilis, vomitus, singultusque insigni levamine. Deinde in usu remedii perstebat, donec sanitas illibata redibat (*c*). ALLIONIUS, qui differentiationem de febre miliari ex professo scripsit, Corticem contra miasina miliare antidotum non esse statuit (*d*). Febrem miliarem, quam descriptis SYDENHAMUS, inflammatoriam esse judicavit; eam ergo methodo antiphlogistica tractari jussit (*e*). Febrem autem ita lenitam, quandoque observavit recrudescentem, cum aphthis et singultu; quorum utervis, si non sponte facebat, sed in longum tempus decurrat, facile, inquit, fugatur usu pulver. Cort. Peruv. (*f*). Admonuit celeber. STORCK, eruptionem nonnunquam copiose exiisse, absque sympto-

(*a*) Vid. an. med. et le lettre de M. Collin a M. de Haen.

(*b*) Ibid. p. 97. (*c*) Ibid. p. 100. (*d*) De feb. miliari, p. 92. (*e*) Ibid. p. 121. (*f*) Ibid. p. 123.

matum levamine; unde vires prostratae fuerunt, cum respiratione diffici, sopore, cephalalgia, sudore viscido foetido: in hoc casu Quinquinam invenit optimum esse remedium (*a*); haec enim omni semihora propinata, morbum desperatissimum cito in meliorem mutavit, et omne mortis periculum sustulit (*b*). Febris miliaris haud infreuenter intermittentis typum induit; et tum China semper ministrari debet. In miliariis albis intermittentem ortam, Cortice fugavit STORCK; eumque ad prophylaxin continuari jussit, unde miliaria mox optime cesserunt (*c*). Haemitritaeam miliaria supervenientem, China, largiter ministrata, fugavit clariss. HÄNEUS (*d*). Cum febris intermittens miliaria supervenit, et signa status inflammatorii simul adsunt, ad Corticem illico confugere yetat ALLIONIUS; sed statum inflammatorium v. s. et diluentibus prius emendarī docet, et tum Chinam chinam exhibendam (*e*). At, si lene sit miliarium genus, nec inflammatione comitatum, curationem Cortice statim institui sinit (*f*).

CONFECTIS jam historiis de Cinchonae usu in febribus et petechialibus et miliaribus, restat ut

(*a*) Ibid. An. I. p. 51. (*b*) Ibid. p. 57. (*c*) Ibid. an. II. p. 22. (*d*) Ibid. p. 98. (*e*) Cum febris miliaris periodice exacerbata fuit, post referatas p. v. Chinam jussit Fordyce, de miliaribus, p. 73. 101. (*f*) Dissert. de feb. miliari, p. 3.

admoneamus,

admoneamus, exanthemata haec saepius in eodem aegro erumpere solita esse, et tum Cortice aequa curabilia. Pulchre hoc illustravit praxis clariss. DE HAEN. Observandum autem est, eum Chinam, longe majori quantitate, exhibuisse, quam qua apud nos unquam, ni fallor, exhiberi solet; nempe extracti Corticis unciam unam, pro 21 diebus, quotidie praescripsit; eumque, minore dosi, diu post repeti jussit (*a*). Credo equidem, Cinchonam spem nostram saepius fefellisse, vel ob pravam Corticis qualitatem, vel ob ejus exhibitionem justo seriorem vel parciorem; quam ob boni Corticis, tempestive et copiose satis propinati, veram inefficaciam.

S E C T. VII.

In morbis lentis.

In hysterica.

GENERALI sub hoc nomine comprehendere velim et passiones hystericas et hypochondriacas dictas. His in morbis SYDENHAMUS Corticem felici cum successu exhibuit. Mane et sero Chinam deglutiri jussit, quae, in eis praesertim qui vehementer spasmodici fuere, mirandos praestabat effectus (*b*).

(*a*) Ibid. p. 166. (*b*) P. 412.

In strumis.

OBSERVAVIT olim MORTONUS, strumas glandularum, variolas imperfecte judicatas, nonnunquam secutas fuisse. In his Corticem exhibuit, inflammatione, si aderat, v. s. prius extincta, et medelam perfecit. Expertissimus STORCK insignem memorat febris putridae crisi, quae saepius terminabatur in parotidibus duris, dolentibus, febre intermittente comitatis; haec quidem convalescentes valde debilitabat, et parotidum suppurationem impediisset, ni Cortice citius suppressa fuisset; cui brevi cessabat. Sed admonuit insuper, non illico, suppressa intermittente, a remedio hoc abstinendum esse; ne languerent aegri, et ne strumae parotidum durae, dolentes manerent: quae, continuato Cortice, mox in laudabilem suppurationem ibant (*a*). Illustriss. medicus FOTHERGILL nuper Corticem ad curandos tumores scrophulosos usurpavit. Cujus efficaciae multa exempla cum publico communicavit in observationibus medicis Londinensibus (*b*). Ex his igitur concludere liceat, Corticem esse remedium utile et efficax in omnibus glandularum strumis.

ATQUE haec sunt quae de medico Corticis Peruviensi usū nunc dicere liceat. Plura quae ex scriptoribus medicis collegi, et experimenta Chemica quae institui, non hic recenseri sinunt limites hu-

(*a*) Ibid. An. II. p. 20. (*b*) Vol. I. p. 303. vol. II. p. 265.
jusmodi

jusmodi dissertatiunculis necessario ponendi. Haec igitur, benevole lector, indulgenter accipe. Vitia, quae humana parum cavit natura, facile mihi, aut cuilibet, te aequum condonaturum esse credo. At te, ea insuper, quae tenue meum ingenium, et parva eruditio, in hac dissertatione, genuere, mihi ut condones, humillime precor.

T A N T U M.

D764 - 32964
L477d Wormer
April 19





D764
L477d

Harcourt Boarding 1978

